

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. X - N. 2

1978

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1978

<i>Salutatio</i>	130
EX ACTIS PAULI PP. VI	
<i>Litterae Apostolicae motu proprio datae</i>	
<i>De Sacri Pallii concessione moderanda in Ecclesia Latina</i>	131
EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. I	
<i>Allocutio ad Em.mos S. R. E. Cardinales</i>	133
EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II	
<i>Allocutio ad Em.mos S. R. E. Cardinales</i>	142
<i>Allocutio de momento linguae Latinae</i>	150
EX ACTIS SANCTAE SEDIS	
<i>Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal</i>	
<i>Declaratio et definitiva sententia Miamien. Incardinationis</i>	152
<i>Pont. Commissione Decretis Conc. Vat. II interpretandis</i>	
<i>De procedura sequenda in remotione parochorum</i>	159
ACTA COMMISSIONIS	
<i>Opera Consultorum in recognoscendis schematibus</i>	
I. Coetus studiorum de Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum	160
II. Coetus studiorum de Sacramentis - De Ordine	179
III. Coetus studiorum de Processibus	209
DOCUMENTA	
<i>Una questione elegante: favorevole o odiosa la norma penale? (P. Card. Felici)</i>	273
NOTITIAE	281
INDICES	283
I. Index locorum e Sacra Scriptura citatorum	285
II. Index locorum in quibus memoria Concilii Vaticanii II servatur	285
III. Index locorum ex Concilii Vaticanii II textibus citatorum	286
IV. Index canonum CIC citatorum	287
V. Index nominum personarum	290
VI. Index rerum generalis	293

Il Cardinale Presidente ringrazia i componenti il Gruppo per il lavoro svolto, che indubbiamente ha permesso di chiarire il cammino che si dovrà seguire per risolvere le questioni generali nonché gli emendamenti proposti per i singoli canoni. Si conclude così la prima sessione del Gruppo speciale di studio.

(I. HERRANZ, *Attuario*)

II

COETUS STUDIORUM DE SACRAMENTIS

Moderante Exc.mo R. I. Castillo Lara, Secretario Commissionis, Relatore Rev.mo W. Onclin, Commissionis Secretario Adiuncto, Coetus specialis de Sacramentis (cf. Communicationes, 9, 1977, p. 323), sessiones habuit diebus 6-10 februarii 1978 et diebus 13-18 martii 1978, in quibus canones de sacramento Ordinis recognovit, iuxta animadversiones quae ab Organis consultationis prolatae sunt. Munere Actuarii functus est D. Marianus De Nicolò.

Conventus dd. 6-10 februarii 1978 habitu

DE ORDINE

Relator notat aliquas haberi animadversiones quibus petitur ut tituli inscriptio sit potius de *ordinatione* quam de *ordine*, quia revera in toto titulo de ordinatione agitur. Itemque in omnibus canonibus constanter sermo sit de ordinatione. Aliqui Consultores animadvertisunt in ordine etiam ordinationem implicari sed non e converso et insuper sat longam traditionem haberi in usu huius termini, quapropter ratio mutationis non videtur sufficere, ideoque titulus remanet *De Ordine*.

Relator observationes generales legit, quibus petitur ut:

1) Magis a) *adspctus ecclesiologicus* sacrae ordinationis apparent, eiusque b) *indoles collegialis* magis praebatur, prae illa individualistica, quatenus ordinatione canonice ordinati fiunt membra, in communione Ecclesiae, Collegii Episcoporum, respective presbyterorum vel diaconorum. Efferenda insuper est c) *indoles liturgica* ordinationis, quatenus in vita liturgica ipsi speciale momentum conferendum est.

2) Clarius appareat distinctio inter Episcopos, presbyteros et diaconos, qui ultimi potestatem regendi non participant.

3) Magis elucescat quod Episcopi et presbyteri non tantum celebrant cultum et regunt, sed constituunt et efformant populum Dei.

4) Textus addatur quo definiantur essentialia ad Episcopatus collationem; nullibi mentio fit de manuum impositione, deque intervenienti communis necnon de actione S. Spiritus.

5) Agatur etiam de ordinatione Episcopi, quia quasi omnes canones presbyteratum et diaconatum respiciunt. Et hoc fiet saltem per mentionem canonum aliarum partium Codicis.

6) Mentio fiat de vocatione divina et de idoneitate ad apostolatum, et non tantum sermo instituatur de qualitatibus humanis ordinandi.

7) S. Sedi tantummodo causae maiores in dispensationibus reserventur.

Animadversionibus generalibus consideratis, Consultores censem eas prae oculis haberi in consideratione singulorum canonum, sed tamen eas non ex toto sumendas esse, quia ex. gr., aspectus ecclesiologicus iam elucet in can. 190 et insistendo hoc in aspectu periculum haberi potest nimiae potestatis in populo Dei abstracto ab Episcopo et differentiam inter sacerdotium commune fidelium et sacerdotium ministeriale evanescere.

Itemque ad indolem liturgicam ordinationis quod attinet, clarum est quod ordinatio est pro populo Dei, sed et minister Ecclesiae etiam communitatem reprezentat. Ceterum clarum remanere debet quod pater sacerdotii et Episcopus.

Item dicatur de indole collegiali. Multa dicuntur in observationibus, quia nondum notum erat schema Commissionis nostrae *De Populo Dei* ubi fere omnia inveniuntur, ex iis quae petuntur. Ceterum multi confugiunt ad collegialitatem ut minuant eum qui superius stat.

Can. 190 (CIC 948)

Sacramento Ordinis ex Christi institutione inter christifideles quidam, charactere perenni quo signantur, constituuntur sacri ministri seu clericorum, qui nempe eodem consecrantur et deputantur ut in persona Christi munera adimplentes Evangelium annuntiandi, christifideles regendi et divinum cultum celebrandi, Dei Populum pascant.

Observatur quod magisterium Ecclesiae numquam declaravit ordinatione diaconali characterem imprimi, tamen omnes conveniunt ut mentio de charactere remaneat etiam pro diaconis cum sit doctrina communis etsi numquam definita.

Desideratur ut distinctio inter sacerdotium commune et ministeriale appareat, et ad hoc proponitur ut dicatur *in persona Christi Capitis*; loco *ex Christi institutione*, dicatur *ex divina institutione*, quia presbyteratum et diaconatum Christus directe non instituit. Ut diversitas conditionis et distinctio inter episcopatum, presbyteratum et diaconatum melius indicentur, adiungantur post *consecrantur et deputantur ut verba pro suo quisque gradu*. Non videtur necessarium mentionem facere de dono Spiritus Sancti, uti a quibusdam petitum est.

In fine disceptationis textus qui probatur sequens est:

Sacramento Ordinis ex divina institutione inter christifideles quidam, charactere indelebili quo signantur, constituuntur sacri ministri, qui nempe eodem consecrantur et deputantur ut, pro suo quisque gradu, in persona Christi Capitis munera adimplentes Evangelium annuntiandi, christifideles regendi et divinum cultum celebrandi, Dei Populum pascant.

Can. 191 (CIC 949)

Ordines sunt episcopatus, presbyteratus et diaconatus.

Aliquis textus nimis durus videtur et sunt qui alium textum proponunt in quo descriptio separata habeatur de episcopatu, presbyteratu et diaconatu. Sed non videtur necesse ut haec in hoc loco protestent, quia in Lege Ecclesiae Fundamentalii hae definitiones dantur.

Tantum, uti petitum est ab aliquibus, alia paragraphus adiungitur, in qua modus exprimitur quo ordines conferuntur, id est forma et materia sacramenti et cuius textus est:

§ 2. Conferuntur manuum impositione et precatione consecratoria quam pro singulis gradibus libri liturgici praescribunt.

Paragraphus 1^a remanet prouti est.

CAPUT I
DE SACRAE ORDINATIONIS MINISTRO

Can. 192 (CIC 951)

Sacrae ordinationis minister est Episcopus consecratus.

Unus Consultor instat ut dicatur *ordinatus* loco *consecratus* uti in libris liturgicis nunc mos est, tamen, contradictibus aliis, canon remanet prout iacet. Nec adiungitur adverbium *unice* uti petitum ab aliquibus.

Can. 193 (CIC 953)

Cum membrum Collegii Episcoporum quis constituatur vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite et membris, nulli Episcopo licet quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato.

Aliquis Consultor proponit ut prima huius canonis pars tollatur cum ratio praebat theologica neque de se cogens; nobis norma interest: rationes e theologia desumuntur.

Unus Consultor animadvertisit primam canonis partem validitatem respicere, dum alteram liceitatem: *nulli episcopo licet ... Relator tenet elementum constitutivum ordinationem esse et communionem tantum conditionem. Replicat primus Consultor communionem utique conditionem esse, sed tamen validitatis. Alter Consultor tenet quod si quis non in communione cum Ecclesia episcopum ordinaret, episcopus qui non in communione cum Ecclesia episcopum ordinaret, ordinatus episcopus quidem esset sed non membrum Collegii. Primo Consultori sententia haec non videtur sustineri posse post Concilium Vaticanum II, quia qui non est in Collegio Episcoporum neque episcopus est. Praeses in memoriam revocat N. B. appositorum ad *Nota explicativa praevia*, quae adiecta est textui Constitutionis dogmaticae de Ecclesia et cuius textus sic sonat: *Sine communione hierarchica munus sacramentale-ontologicum, quod distinguendum est ab adspectu canonico-iuridico, exerceri non potest. Commissio autem censuit non intrandum esse in quaestiones de liceitate et validitate, quae relinquuntur disceptationi theologorum, in specie quod attinet ad potestatem quae de facto apud Orientales seiunctos exercetur, et de cuius explicatione variae extant sententiae (cf. Constitutiones Decreta Declarationes, cura et studio Secretariae Generalis Concilii Oecumenici Vaticani II, 1966, p. 219).**

Tandem aliquando omnes conveniunt ut prima canonis pars supprimatur cum iam in Lege Ecclesiae Fundamentalii contineatur et quidem melius expressa.

Can. 194 (CIC 954)

Nisi a Sede Apostolica dispensatum fuerit, Episcopus consecrator principalis in consecratione episcopali duos saltem Episcopos consecrantes sibi adiungat; convenit autem ut omnes Episcopi praesentes una cum iisdem electum ordinent.

Consideratis animadversionibus prolatis et disceptatione peracta, textus probatur uti est, tamen adiungitur *valde* ante *convenit* et dicitur *consacent* loco *ordinent*.

Can. 195 (CIC 955)

§ 1. Unusquisque ad presbyteratum aut diaconatum a proprio Episcopo ordinetur aut cum legitimis litteris dimissoriis.

§ 2. Episcopus proprius, iusta de causa non impeditus, per se ipse suos subditos ordinet; sed subditum orientalis ritus, sine apostolico indulto, licite ordinare non potest.

Placet § 1.

Ad § 2: non accipitur animadversio: 1) dicendi *Ecclesiae* loco *ritus*; 2) non utendi verbo *subditos*; 3) delendi § 2 quia Codex tantum Ecclesiam respicit latinam; 4) consultandi Hierarcham illius ritus; 5) addendi *licite ordinatur tantum qui receperit confirmationis sacramentum*; 6) requirendi litteras dimissorias sui Episcopi tantum et non etiam apostolicum indultum; 7) supprimendi secundam partem huius § vel hic vel in can. 203, cum de eadem re sermo instituatur.

Textus tamen probatur prout prostat.

Can. 196 (CIC 957)

Vicarius et Praefectus Apostolicus, Abbas et Praelatus proprio territorio praepositus, Administrator Apostolicus, itemque Praelatus Praelatura personali praepositus, si charactere episcopali polleant, Episcopo dioecesano aequiparantur quod pertinet ad ordinationem conferendam.

Supprimitur quia iam provisum cum cann. 199 et 201 (qui ultimus uti § 3 can. 195 transfertur).

Can. 197 (qui fit 198) (CIC 1009)

Episcopus extra propriam ditionem nonnisi cum licentia loci Ordinarii ordines conferre potest.

Textus placet.

Can. 198 (qui fit 197) (CIC 956)

Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem clericorum saecularium, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus per diaconatum est incardinatus; quod attinet ad ordinationem eorum qui nondum sunt diaconi et clero saeculari adscribi intendunt, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus habet domicilium, aut dioecesis in qua habet originem, aut dioecesis cui, de consensu Episcopi dioecesis domicilii, promovendus sese devovere intendit.

Ad hunc textum animadvertisit: 1) delendam esse mentionem originis, quia non videntur rationes ob quas privilegium confertur dioecesi originis; 2) libertatem relinquendam esse candidato sibi dioecesim eligendi; 3) addendam esse aliam paragraphum in qua dicatur de clero ad Institutum vitae consecratae pertinente cuius Episcopus proprius est ille in cuius territorio sita est domus religiosa cui ordinandus adscriptus est; 4) competentiam primo statuendam esse relate ad diaconos, deinde relate ad sacerdotes.

Unus Consultor instat ut deleatur mentio de dioecesi originis et tantum sermo fiat de dioecesi domicilii et de ea cui candidatus se devovere intendit.

Resistit aliquantulum Relator, quia in canonibus de Populo Dei praecise hanc ob rationem habetur caput de origine; et insuper privilegium nemini datur quia particula *aut* est disiunctiva. In fine disceptationis textus est:

Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem diaconalem eorum qui clero saeculari adscribi intendunt, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus habet domicilium, aut dioecesis cui promovendus sese devovere intendit; quod attinet ad ordinationem presbyteralem clericorum saecularium, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus per diaconatum est incardinatus.

Proponitur etiam ut ponatur canon post can. 194; sed est tantum propositio quae adhuc considerari debet.

Can. 199 (CIC 958)

§ 1. *Litteras dimissorias pro saecularibus dare possunt:*

1) *Episcopus dioecesanus proprius de quo in can. 198, post-*

quam possessionem suae dioecesis legitime coepert ad normam can. 2 (De Episcopis dioecesanis: CIC 334, § 3);

2) *Vicarius generalis et Vicarius episcopal, ex speciali tamen Episcopi dioecesani mandato;*

3) *Administrator Apostolicus atque, de consensu Collegii consultorum de quo in can. 11 (de Consilio presbyterali), Administrator dioecesanus;*

4) *Vicarius et Praefectus Apostolicus, atque Pro-vicarius et Pro-prae-fectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus proprio territorio praefectus, itemque Praelatus Praelatura personali praepositus, licet episcopal charactere careant.*

§ 2. *Administrator dioecesanus, Pro-vicarius et Pro-prae-fectus Apostolicus litteras dimissorias ne concedant iis quibus ab Episcopo dioecesano aut a Vicario vel Praefecto Apostolico accessus ad ordines dene-gatus fuerit.*

Propositionibus consideratis, sequentibus emendationibus textus probatur: deleantur, in § 1, n. 1, verba *dioecesanus* post *Episcopus* necnon *postquam possessionem ... usque ad finem numeri 1; in n. 3 tollantur verba de quo ... (de Consilio presbyterali); in n. 4 textus est: Vicarius ... territorio praefectus, itemque Praelatura personali praepo-situs ...*

Can. 200 (CIC 964)

§ 1. *Uni Moderatori maiori Instituti clericalis vitae consecratae iuris quidem pontificii aut Societatis iuris pontificii facultate sibi clericos adscribendi gaudentis, competit ut suis subditis iuxta Constitutiones permanenter Instituto aut Societati adscriptis concedat litteras dimisso-rias ad diaconatum et ad presbyteratum.*

§ 2. *Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis Instituti vitae consecratae aut Societatis facultate sibi clericos adscribendi dona-tae, regitur iure saecularium, revocato quolibet privilegio contrario.*

Non admittitur observatio non utendi verbo *subditus*; dicendi *Moderatori maiori* in forma plurali.

Probatur § 1 prouti est in textu, adiecto tantum verbo *clericali* post *Societatis*.

Textus § 2 probatur hoc modo: *Ordinatio ceterorum omnium*

alumnorum cuiusvis Instituti aut Societatis regitur iure saecularium, revocato quolibet indulto Superioribus concesso.

Hoc modo visum est providere animadversionibus quae maiorem simplicitatem textus petebant.

Can. 201 (CIC 959)

Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem ordines per se ipse conferre, si charactere episcopali polleat.

Placet, sed transfertur uti § 3 can. 195.

Can. 202 (CIC 960)

Litterae dimissoriae ne concedantur, nisi habitis antea omnibus testimoniosis, quae iure exiguntur ad normam can. 233.

Placet textus.

Can. 203 (CIC 961)

Litterae dimissoriae mitti possunt ad quemlibet Episcopum communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tantum, citra apostolicum indultum, Episcopo diversi ritus a ritu promovendi.

Placet textus.

Can. 204 (CIC 962)

Episcopo ordinanti constare debet litteras dimissorias, tum pro saecularibus tum pro sodalibus Institutorum vitae consecratae aut Societatum facultate sibi clericos adscribendi gaudentium, esse authenticas atque ad normam iuris concessas.

Ab aliquibus animadvertisit Episcopum ordinantem inquirere debere de qualitatibus candidati ad ordinem neque liberari ab hoc quia litterae dimissoriae sunt authenticae. Ab aliis notatur indoles generalis huius canonis, qui inter canones generales transferendus esset. Sunt qui petunt ut Episcopus ordinans inquirat utrum dimissoriae litterae ad normam iuris concessae sint.

Ex propositione alicuius Consultoris, accedente Relatore, reassumitur textus can. 962 CIC, sequenti modo probatus: *Episcopus ordinans, acceptis legitimis litteris dimissoriis, ad ordinationem ne procedat nisi de germana litterarum fide dubitare minime possit.*

Can. 205 (CIC 963)

Litterae dimissoriae possunt ab ipso concedenti aut ab eius successore limitibus circumscribi aut revocari, sed semel concessae non extinguuntur resoluto iure concedentis.

Non accipitur observatio adiungendi *iusta de causa* post revocari, et textus probatur uti iacet.

CAPUT II

DE SACRAE ORDINATIONIS SUBIECTO

Sicut factum est pro aliis Sacramentis, titulus huius capitulis inscribitur *DE ORDINANDIS* loco *DE SACRAE ORDINATIONIS SUBJECTO*.

Ad huius ordinem capitulis quod attinet, est qui in consultatione proponit quod tres partes habere debet: 1) de ordinando diacono; 2) de ordinando presbytero; 3) de ordinando episcopo.

Can. 206 (CIC 968)

§ 1. Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus.

§ 2. Licite ordinatur qui, ad normam iuris, probatione peracta, debitibus qualitatibus, iudicio proprii Episcopi aut Moderatoris maioris competentis, praeditus sit, nulla detineatur irregularitate nulloque impedimento, atque praerequisita, ad normam cann. 212-220 adimpleverit.

Ad § 1, animadversionibus consideratis et disceptatione peracta, omnes convenient ut textus canonis maneat et constet sola hac § 1. In canone sequenti in unum redigitur § 2 huius canonis cum duabus §§ canonis 208, quae erunt respective § 2 et 3 can. 207. Et can. 207 schematis fit can. 208.

Ad § 2 (qui erit § 1 canonis sequentis):

Aliquis Consultor oppositionem facit ut in textu, sicuti ab aliquibus quaesitum est, dicatur *licite ordinatur qui, in plena communione Ecclesiae vivens, probatione ...* Videtur insuper opportunum addere mentionem presbyteratus et diaconatus, quia *iudicio proprii Episcopi* non

valet pro ordinandis episcopis. In fine disceptationis textus istius paragaphi est sequens:

Ut quis licite ad presbyteratum vel diaconatum ordinetur requiritur ut, probatione ad normam iuris peracta, ... adimpleverit.

Can. 207 (qui erit 208)

Nefas est quemquem, quovis modo, ob quamlibet causam, ad ordines recipiendos cogere, vel canonice idoneum ab iisdem recipiendis avertere.

Placet textus.

Can. 208 (qui erit 207)

§ 1. Licite non ordinatur nisi candidatus qui, Superioris legitimi iudicio, pro Ecclesiae ministerio utilis habetur.

§ 2. Episcopo ordinanti proprium subditum qui servitio alius dioecesis destinetur, constare debet ordinandum alteri dioecesi, ad normam can. ..., addictum iri.

Ad § 1 (quae erit § 2): Aliqui petunt ut dicatur *nisi candidatus, cuius servitium, Superioris legitimi iudicio, pro Ecclesiae ministerio utile habeatur*, quia non agitur de persona sed de utilitate servitii. Sunt etiam qui animadvertiscunt episcopum ordinare posse quos scit utiles pro Ecclesia universalis esse. Tandem aliquando textus qui probatur est:

Insuper requiritur ut, iudicio eiusdem legitimi Superioris, pro Ecclesiae ministerio utilis habeatur.

Paragraphus 2 (quae erit § 3) placet.

Can. 209 (CIC 970)

Proprius Episcopus vel Moderator maior ad normam can. 200 competens nonnisi ex causa canonica, licet occulta, potest diaconis sibi subditis ascensum ad presbyteratum interdicere, salvo iure recursus ad Apostolicam Sedem vel, si agatur de sodalibus Instituti vitae consecratae, quibus ascensum interdixerit Moderator proprius, ad Moderatorem quoque generalem.

Oportet ut declaretur quod agitur de diaconis ad presbyteratum destinatis, et Superior manifestare debet candidato rationes propter quas ascensus ad ordinem ei interdictus ut ipse habeat revera possibilitatem recurrendi.

Formula *Moderator maior ad normam can. 200 competens* nimis

restrictiva videtur, quia etiam Superiores Institutorum diocesanorum et laicales debent hac facultate gaudere.

In fine addatur *salvo recursu ad normam iuris*, quia non semper et in primis est Sedes Apostolica.

Quapropter textus est:

Proprius Episcopus vel Moderator maior competens nonnisi ex causa canonica, licet occulta, potest diaconis ad presbyteratum destinatis, sibi subditis, ascensum ad presbyteratum interdicere, salvo recursu ad normam iuris.

Can. 210 (CIC 972)

§ 1. *Aspirantes ad presbyteratum accurate ad vitam spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria efformentur in Seminariis maioribus secundum praescripta can. ...*

§ 2. *Qui extra Seminarium legitime commorantur, ab Ordinario committantur curae pii et idonei sacerdotis, qui invigilet ut ad vitam spiritualem et ad disciplinam sedulo efformentur.*

Animadversionibus consideratis, et disceptatione peracta, cum non sit hic locus proprius loquendi de requisita institutione ad ordines, textus supprimitur et eius loco dicitur tantum:

Aspirantes ad diaconatum et presbyteratum accurata præparatione efformentur ad normam cann. 86 et 86 bis de Populo Dei.

Can. 211 (novus)

§ 1. *Aspirantes ad diaconatum permanentem:*

1) *iuvenes per tres saltem annos in peculiari degant Collegio, in quo ad vitam vere evangelicam ducendam informentur atque ad officia eidem ordini propria rite exsequenda instruantur;*

2) *maturioris aetatis viri, sive coelibes sive matrimonio coniuncti, aliquamdiu, secundum normas ab Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae aut districtus regionalis statutas, in peculiari instuantur Collegio, ut ea omnia addiscant quae ad munus diaconale digne impletendum opus erunt.*

§ 2. *Qui vero eorum, ob specialia adjuncta, extra Collegium legitimate formationem recipient, ab Ordinario commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui curam eorum agat eosque edoceat et ad munus diaconale rite impletendum efformet.*

Visis animadversionibus et disceptatione peracta, canon transfertur uti can. 86 bis schematis de Populo Dei, ubi agitur de institutione clericorum.

Textus tamen corrigi debet firma tamen manente dictione *diaconatus permanens* et *diaconatus transiens*. Insuper qui ad diaconatum permanentem destinantur saltem per tres annos efformari debent, modo ab Episcoporum Conferentiis statuto, ita ut scientiam debitam et alia requisita adquirant, absque distinctione inter iuvenes et viros maturioris aetatis. Et textus qui proponitur ut ad schema de Populo Dei (can. 86 bis) transferatur est sequens:

Aspirantes ad diaconatum permanentem, secundum Episcoporum Conferentiam praescripta, ad vitam evangelicam ducendam informentur atque ad officia eiusdem ordinis propria rite exsequenda instruantur:

- 1) *iuvenes per tres saltem annos in aliqua domo peculiari degentes, nisi graves ob rationes loci Ordinarius aliter statuerit;*
- 2) *maturioris aetatis viri, sive coelibes sive coniugati ratione ad tres annos protracta, ab eadem Episcoporum Conferentia definita.*

Art. 1

DE REQUISITIS IN ORDINANDIS

Can. 212 (qui erit 211) (CIC 974, § 1)

Licite ad ordines promovetur tantum qui receperit sacrae confirmationis Sacramentum, quippe qui baptizatus, iam perfectius Ecclesiae vinculatus et ad fidem testandam arctius obligatus cum sit, ministerio Ecclesiae hierarchico participando magis fiat aptus.

Accipitur observatio delendi alteram partem canonis a verbis *quippe qui usque ad fiat aptus*, utpote superfluam et iam in aliis canonibus contentam.

Can. 213 (qui erit 212) (CIC 974, § 1 et 984, 1)

Ad ordines promoveantur ii soli qui, prudenti iudicio Episcopi dioecesani aut Moderatoris maioris competentis, omnibus perpensis adiunctis certo bona gaudeant existimatione, integris moribus aliisque qualitatibus physicis et psychicis, ordini recipiendo congruentibus.

Sunt qui dicunt textum incompletum esse; alii quaerunt ut mentio fiat de necessitate scientiae sufficientis; addatur *virtutibus* post *mori-*

bus, vel aliis qualitatibus, tum naturalibus tum supernaturalibus, immo theologica pastoralique institutione; requiratur consultatio Consilii presbyteralis et consiliariorum paroecialium. Tandem aliquando textus qui probatur est sequens:

Ad ordines promoveantur ii soli qui, prudenti iudicio Episcopi proprii aut Moderatoris maioris competentis, omnibus perpensis adiunctis recta moventur intentione, debita pollent scientia, bona gaudent existimatione, integris moribus probatisque virtutibus atque aliis qualitatibus physicis et psychicis Ordini recipiendo congruentibus.

Can. 214 (qui fit 213) (novus)

§ 1. Ad diaconatum vel presbyteratum aspirans, diaconus ne ordinetur, nisi qui prius, ad normam §§ quae sequuntur, admissionem inter candidatos ad eosdem ordines obtinuerit; ad eandem tamen admissionem obtinendam non tenetur qui per vota aut alia sacra ligamina cooptatus est in clericali Instituto vitae consecratae aut Societate clericorum.

§ 2. Ad eandem admissionem obtinendam requiritur libera aspirantis petitio, propria manu exarata et subscripta, necnon competentis auctoritatis ecclesiasticae acceptatio scripto data, vi cuius Ecclesiae electio efficitur.

§ 3. Auctoritas pro eadem acceptance competens est Episcopus dioecesanus de quo in can. 198, et pro sodalibus sui Instituti aut Societatis Moderator maior de quo in can. 200.

§ 4. Admissio inter candidatos ad diaconatum fit cum ritu liturgico, peragendo ab auctoritate ecclesiastica, de qua in § 3.

§ 5. Inter candidatos ad diaconatum transeuntem ne admittantur nisi qui vigesimum saltem aetatis annum expleverit et studiorum philosophico-theologicorum curriculum cooperit.

Animadversionibus examinatis, cum textus nimis complexus videatur, alia probatur formula brevior, per maiorem suffragiorum partem, prout sequitur:

§ 1. Ad diaconatum vel presbyteratum adspirans ne ordinetur nisi qui prius ritu liturgico admissionis ab auctoritate de qua in cann. 198 et 200 adscriptionem inter candidatos obtinuerit post praeviam suam petitionem propria manu exaratam et subscriptam atque ab eadem auctoritate in scriptis acceptatam.

§ 2. Ad eandem admissionem obtainendam non tenetur qui per vota aliave sacra ligamina in clericali Instituto vitae consecratae cooptatus est.

Can. 215 (qui erit 214) (novus)

§ 1. Candidatus ad diaconatum, sive permanentem sive transeuntem, ministeria Lectoris et Acolythi, nisi eadem iam receperit, prius debet recipere et per congruum tempus exercere, nisi a Sancta Sede dispensatio concessa sit.

§ 2. Inter acolythatus et diaconatus collationem intervallum intercedat sex saltem mensium, nisi ab Episcoporum Conferentia illud protrahendum statuatur.

Non paucae sunt animadversiones quae petunt: ut mentio non fiat de dispensatione a S. Sede, quia Episcopus potest dispensare; ut canon deleatur et in preambulo aliquid dicatur. Alii tenent nullam adesse necessitatem recipiendi illa ministeria quae dantur etiam laicis. Post disceptationem textus servatur hoc modo emendatus:

§ 1. Antequam quis ad diaconatum, sive permanentem sive transeuntem, promoveatur, requiritur ut ministeria Lectoris et Acolythi receperit et per congruum tempus exercuerit.

§ 2. Placet uti est in schemate.

Can. 216 (qui erit 215) (novus)

Candidatus, ut ad ordinem diaconatus aut presbyteratus promoveri possit, Episcopo dioecesano de quo in can. 198, aut Moderatori maiori de quo in can. 200, declarationem tradat propria manu exaratam et subscriptam, qua testificetur se sponte ac libere sacram ordinem suscepturum atque se ministerio ecclesiastico perpetuo mancipaturum esse, insimul petens ut ad ordinem recipiendum admittatur.

Dicatur Episcopo proprio et Moderatori maiori competenti; loco perpetuo dicatur pro tota vita sua. Aliae animadversiones petunt ut quaedam addantur de *titulo ordinationis*.

Textus probatur prout in schemate, salvis sequentibus emendationibus: *proprio loco dioecesano de quo in can. 198; et competenti loco de quo in can. 200.*

Can. 217 (qui erit 216) (novus)

Candidatus ad diaconatum, qui non sit uxoratus, item candidatus ad presbyteratum, ad diaconalem ordinationem ne admittatur, nisi ritu praescripto publice coram Deo et Ecclesia obligationem caelibatus assumpserit, aut, si eandem publice iam assumpserit, renovaverit.

Visis animadversionibus, textus hoc modo emendatus est:

Candidatus ad diaconatum permanentem, qui non sit uxoratus, itemque candidatus ad presbyteratum, ad ordinem diaconatus ne admittatur ... coelibatus assumpserit.

Can. 218 (qui erit 217) (CIC 973, § 2)

Admissus ad ministeria, de quibus in can. 215, qui diaconatum recipere recuset, itemque diaconus qui ad presbyteratum promoveri renuat, non possunt ad eosdem ordines recipiendos cogi, nec a ministeriorum receptorum ordinis recepti exercitio prohiberi, nisi impedimento detineantur canonico aliave gravis, de iudicio Episcopi dioecesani aut Moderatoris maioris competentis, obsit causa.

Aliquis Consultor tenet primam partem canonis inutilem et superfluam esse et iam contineri in can. 207 et quidem verbis efficacioribus; alteram partem iam esse in aliis canonibus cum ordinis exercitium materia sit potius schematis de Populo Dei quam de Sacramentis. Relator concordat pro prima parte, dum negat pro altera, quia hic continentur rationes canonicae quae non sunt delicta et nullibi hoc dicitur. Consultor non insistit et proinde textus qui remanet est:

Diaconus qui ad presbyteratum promoveri renuat, ab ordinis recepti exercitio prohiberi non potest nisi ... Episcopi dioecesani ... causa.

Can. 219 (qui erit 218) (CIC 975)

§ 1. *Presbyteratus ne conferatur nisi iis qui aetatis annum vigesimum quartum expleverint, servato insuper intervallo sex saltem mensium inter diaconatum et presbyteratum; qui ad presbyteratum destinantur, ad diaconalem ordinationem tantummodo admittantur, post expletum aetatis annum vigesimum tertium.*

§ 2. *Candidatus ad diaconatum permanentem qui non sit uxoratus ad eundem diaconatum ne admittatur, nisi post expletum vigesimum quintum saltem aetatis annum; qui matrimonio coniunctus est, nonnisi post expletum trigesimum quintum saltem aetatis annum, atque de uxoris consensu.*

§ 3. *Integrum est Episcoporum Conferentiis regionum ecclesiasticarum aut districtuum regionalium normam statuere, qua proiectior ad presbyteratum et ad diaconatum permanentem requiritur aetas.*

§ 4. *Dispensatio ultra annum super aetate requisita ad normam §§ 1 et 2 Apostolicae Sedi reservatur.*

Animadversionibus consideratis, textus sic se habet:

§ 1. *Presbyteratus ... vigesimum quintum expleverint et sufficienti gaudeant maturitate, servato ... destinantur, ad diaconatus ordinem tantummodo ... tertium.*

§ 2. *Prout exstat in schemate.*

§ 3. *Integrum est Episcoporum Conferentiis normam statuere ... aetas, absque verbis regionum ecclesiasticarum aut districtuum regionalium.*

§ 4. *Prout iacet in schemate.*

Can. 220 (qui erit 219) (CIC 976)

§ 1. *Nisi ob specialia adiuncta Episcoporum Conferentia aliud statuerit, candidatus ad presbyteratum promoveri tantum potest ad diaconatum post expletum quintum curriculi studiorum philosophico-theologicorum annum.*

§ 2. *Episcopus dioecesanus statuere valet ut post expletum studiorum curriculum diaconi per tempus congruum in cura pastorali partem habeant, diaconalem exercentes ordinem, antequam ad presbyteratum promoveantur.*

§ 3. *Aspirans ad diaconatum permanentem ad hunc ordinem ne promoveatur nisi post expletum formationis tempus.*

§ 4. *Institutio theologica peragi debet in institutis a competenti auctoritate probatis, et secundum rationem studiorum pariter approbatam, nisi intercesserit Episcopi dioecesani dispensatio.*

Ad § 1: Ex propositione alicuius Consultoris supprimitur mentio Episcoporum Conferentiae et textus incipit: *Candidatus ...*

Ad § 2: disceptatione peracta, textus est: *Post expletum ... congruum, ab Episcopo vel a Moderatore maiori competenti definendum, in curam pastoralem ...*

Ad § 3: probatur prout iacet.

Ad § 4: proponente aliquo Consultore, haec § supprimitur, ut pote non necessaria, quatenus Episcopus iam potest de se dispensare et textus esset quasi invitatio ad dispensandum.

Concordat Relator cum propositione suppressionis quia res in canonibus de educatione clericorum iam continetur.

Can. 221 (CIC 977 et 978, § 3)

Nemo potest, nisi de peculiari Romani Pontificis licentia, ad diaconatum et presbyteratum uno eodemque die promoveri, reprobata quavis consuetudine contraria.

In animadversionibus petitur ut tollatur mentio dispensationis, tamen, proponentibus aliquibus Consultoribus, totus canon supprimitur, cum iam in aliis canonibus sermo sit de interstitiis. Placet omnibus.

Can. 222 (CIC 979-982)

§ 1. Omnes diaconi saeculares ordinentur titulo servitii Ecclesiae particularis cui sese stabiliter devovere intendunt, sub auctoritate Episcopi dioecesani.

§ 2. Huius tituli ratione, Episcopus dioecesanus curare debet ut debite consulatur diaconorum et presbyterorum honestae sustentationi utque provideatur eorundem congruenti cautioni et adsistentiae sanitiae, ad normam iuris.

§ 3. Diaconi sodales Instituti vitae consecratae ordinentur titulo Instituti cui adscribuntur, sub auctoritate Moderatoris maioris, cuius est eorundem congruae sustentationi providere; eadem valet regula de diaconis qui alicui Societati sunt adscripti, nisi in dioecesi incardinentur.

Placet omnibus ut totus canon supprimatur. Institutum tituli ordinationis est obsoletum et qui altari ministrat debet de altari vivere; ceterum in can. 141 de Populo Dei iam sermo est de remuneratione deque assicurazione et assistentia sociali.

Art. 2

DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS

1) Quaestio mota est utrum oporteat ad Conferentias Episcopales remittere omnia quae impedimenta respiciunt at Consultores tenent melius esse ut apud Sanctam Sedem remaneat facultas dispensandi ab

impedimentis, salvis dispensationibus quae revera sunt minoris momenti.

2) Quaeritur num non expedit ut distinctio inter irregularitatem ex delictu vel ex defectu supprimatur. Omnes concordant ut servetur.

3) Dubio utrum expedit verbum *irregularitas* servare an simpli-citer dicere *impedimentum perpetuum*, videtur melius ut servetur ut-pote terminus technicus in traditione canonica adhibitus, etsi in linguis vulgaribus aliam obtinet significationem.

Can. 223 (qui fit 220)

A recipiendis ordinibus arcentur qui quovis perpetuo impedimento, quod venit nomine irregularitatis, aut aliquo simplici impedimento afficiuntur: nullum autem impedimentum perpetuum, sive ex defectu sive ex delicto, nullumque simplex impedimentum contrahitur, nisi quae exprimuntur in canonibus qui sequuntur.

Ad canonem quod attinet, textus qui probatur est sequens:

A recipiendis ... quovis impedimento sive perpetuo, quod venit nomine irregularitatis, sive simplici afficiuntur; nullum autem impedimentum contrahitur, nisi quod exprimitur in canonibus qui sequuntur.

Can. 224 (qui fit 221) (CIC 984)

Ad recipiendos ordines sunt irregulares ex defectu:

1) *qui ob corporis debilitatem aut deformitatem convenienter altaris ministerio defungi non valet;*

2) *qui, iudicio peritorum, aliqua forma laborat amentiae aliisve psychici defectus, qua inhabilis reddatur ad ministerium rite im-plendum.*

Ratione habita eorum qui *handicappati* vocantur, qui, iudicio Episcopi, revera possunt non paucas mansiones et apostolatus opera exerce-re, supprimitur § 1. Et cum iam in can. 213 sermo sit de qualitatibus physicis et psychicis, Consultores in eo erant ut etiam § 2 supprime-retur, sed in fine disceptationis, etiam instante Card. Praeside, textus servatur sequenti dictione:

Ad recipiendos ordines sunt irregulares qui iudicio peritorum ... im-plendum. Ita supprimitur formalis distinctio inter irregularitatem ex defectu et irregularitatem ex delicto.